



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu

Estrix, Aegidius

Moguntiaë, 1679

Propositio VII. Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42472

epistolis Montaltii, Filliucium docuisse: quod
est probabile; quod non nō est obligé a la rigueur
tous les cinq ans, Hæc igitur ipsa verba gal-
lica Filliucium flandricè accusans produxit,
tamquam verba Filliucii hominis itali & la-
tinè scribentis.

PROPOSITIO VII.

Tunc solum obligat quando tenemur justificari,
& non habemus aliam viam, qua justificari
possumus.

Autorem Propositionis citat Azorium Jesuitam
citatum à Tamburino, ut legerat apud
Wendrockium in famosis notis.

Neque accusatori, neque Wendrockio fi-
dendum, ac ne Tamburino quidem, si accusa-
re voluerimus: liber Azorii adeundus, ubi
comperio non aliud ipsum docuisse, quam
præceptum charitatis non obligare pro aliquo
tempore determinato, sive quod nos possumus
determinare, nisi quando debet justificari pec-
cator extra opportunitatem Sacramenti. Poste-
rior pars hujus doctrinæ non est invidiosa, ut
patet: prior pars continet communissimam
Theologorum sententiam, neque damnatam
aspiciam.

Porro hanc esse doctrinam Azorii l. 9. c. 4.
q. 1. qui locus extat citatus apud Wendroc-
kium, ex eo conficio, quod ibi profiteatur, se

se docere de præcepto charitatis, quod docue-
 rat de præcepto fidei & spei. Atqui l. 8.
 c. 7. q. 6. aliud non docet, quam præceptum
 fidei non obligare determinato tempore, nisi
 quando debet justificari peccator: conclu-
 dit enim his verbis: *proinde mandatum credendi*
tunc inducit obligationem credendi, cum impius
lege & præcepto compellitur ad justitiam adipiscen-
dam. Quâ obtentâ præceptum fidei non habet am-
plius vim obligandi, ut remedium ad justificationem,
 ITA UT CERTO TEMPORE FIDEI ACTUM ELI-
 CERE DEBEAMUS: *semper tamen eo præcepto te-*
nemur, ne aliquid contra fidem credamus, ET HA-
 BET VIM OBLIGANDI, UT EST PRÆCEPTUM
 VIRTUTIS THEOLOGICÆ; *quamvis facile non sit,*
ut ait Bañes 2.2. q. 2.2.a. 1. d. 2. designare tem-
pus certum ut est actus virtutis. Satis probabiliter
dicatur, speciale tempus, quo quis credere debet, esse,
quando tentationes insurgunt, quibus tentatur fi-
des hominis, ET IDEM JURIS EST DE PRÆCEP-
 TO SPEI ET CHARITATIS.

Similiter l. 9. c. 2. q. 6. postquam dixerat,
 spei præceptum habere suam vim, cum pœnitentiæ
 præcepto, & lege compellimur ad anteactæ vitæ pec-
 cata detestanda, quærit, an Homo post obtentam Dei
 gratiam & veniam peccatorum ALIQUO CERTO
 TEMPORE debeat spei actum elicere: respondet
 vero his verbis: *aliis vero temporibus DIFFICILE*
EST DEFINIRE PRÆCISE, quandonam spei actum
præstare debeamus.

EX

III
206

Ex his patet Azorium docere, uti præceptum fidei & spei, sic & charitatis obligare, quando debet justificari peccator, neque fieri potest sine charitate: secundò, tempore indeterminato, ut vulgò loquuntur Theologi seu non facile determinabili à nobis. 3. quando tentationes insurgunt adversus charitatem, seu quando periculum est excidendi charitatem. Liquet ergo ipsum non esse autorem septimæ propositionis. *Tunc solum obligat (præceptum charitatis) quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.*

PROPOSITIO VIII.

Comedere, & bibere usque ad satietatem, non solum voluptatem non est peccatum, non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Autorem propositionis citat Escobarium tract. 2. exam. 2. n. 102. & nescio quem Sanchezium incerto loco.

Scandalosam esse propositionem sic acceptam, ut non sit peccatum comedere & bibere usque ad satietatem quamlibet, etsi immoderatè & cum excessu, modo hic non obsit valetudini, quilibet per se videt. Non haec docuit Escobarius. Docuit, comedere & bibere usque ad eam satietatem, quæ est sejun-